


Hermann Schuckmann

Programma Quo Ad Praedicandam Maiestatem Principis Angelorum Et Domini Exercituum, Invitat Cives Academicos

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734822200>

Druck Freier  Zugang



RU. Progr. 1647

- 1) Hermann Schückmann
- 2) Joachim Lütke mann
- 3) -
- 4) Hermann Schückmann
- 5) Johannes Aüistorp

PROGRAMMA

Quo

Ad

Prædicandam Majestatem

PRINCIPIS AN-
GELORVM

Et Domini Exercituum,

Invitat Cives Academicos

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HERMANNUS SCHUCKMAN,

Theol. D. & Professor,

Publicè propositum in festo Michaelis,


die 29. Septembr. Anni 1647.

Sub Sigillo Academiae.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.



Estum denuò indixit Sancta Ecclesia. Et hoc dicatum CHRISTO est, cujus honori, quæ quotannis aguntur, festa omnia serviunt. Illa enim prout se excipiunt invicem, temporibus sibi succedentibus, sic ordine in singulis; cui bono sit Christus, quid agat ipse ad restituendum hominem, quibus modis agat, & quæ nobis beneficia per ipsum pro salute cum animæ tum corporis obveniant, piè docemur, atq; hæc edocti excitamur ad laudes benefactoris nostri prædicandas, ut fas est. *Natus* proponitur ex purâ & illibatâ virgine filius hominis, ut nascamur per eum filii Dei, & is per fidem, in purificatâ ad virginalem castitatē cujuslibet animâ tantisper formetur parvulus, donec pertingamus omnes ad mensuram plenitudinis ejus, quæ perfectum coram Deo virum sistet. Sed huic beatitudini nascendisq; ex Deo filiis mors obstabat, & qui habet vim mortis Diabolus, & quod est aculeus mortis peccatum. In horum contorta agmina unus ivit Christus, unus tela omnium excepit Paschalis victima factus, & sic excepit, seq; in aciem cruentam sic commisit patiens

tiens, ut idem de omnibus triumpharet feliciter victor ex mortuis redivivus unus. Hunc mortis victorem & vitæ quâ fiunt filii Dei datorem, ut offerri nobis apprehendendum fide statuamus, & ipse in quolibet nostrum, quotquot regenuit Deus per resurrectionem ejus in spem vivam, subindè resurgat & vivat in perpetuum; opus est ductore Spiritu Christi, qui tenebras illuminet, arguat à veritate aversos, doceat rudes, solletur contritos, ducat errantes, conversos regat, stantes in fide stabiliat, & omni modo Christum in membris clarificet, usq; dum & membra glorificentur in Capite, & Deus præstet omnia in omnibus. Ità quidem per Christum & Spiritum ejus, cum in mortali etiam corpore versatur, salva credentis anima est; Neq; tamen, quantisper fragile istud tentorium circumfert, extrà omnem periculi metum & teli jactum posita. Pugnandum enim ipsi per cunctam vitam cum nocentissimis hostibus, morte, peccato, Diabolo & universâ inferorum catervâ, inter quos non postremum agmen ducunt caro & mundus. Isti lucæ momento succuberet homo, nec, quâ resistat tantis tamq; potentibus inimicis, facultatem inveniret, nisi divinâ virtute eâq; superiori quam omnium hominum vires sunt, adjutus, & spirituum cælestium invisibilibus excubiis sti-

patus, sæpè cum vinci videtur, victor per Christum evaderet. Proindè sistendus porrò fuit lutanti animæ Christus, tanquam Exercituum Dominus; & in hujus devotâ contemplatione diem hunc, qui solennis Ecclesiæ est, & plures, si Deus voluerit, transigemus. MICHAELI nunc festum celebratur, & ei quidem Angelorum principi. Quis sit princeps ille cum quæris? responsum capies ex ipso nomine, & indè perges nec desines quærere, *quis sicut ille Deus fortis*, & cui assimilabitur ille? Ità semper in admiratione Majestatis, potentia, bonitatis Christi persistes, nec unquam earum latitudinem, quamdiu in terris vivitur, exhauries. Ipse est Character invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ: nam per eum omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terrâ, visibilia & invisibilia, sive throni, sive Domina, sive principatus, sive potestates, omnia per eum & ejus respectu condita sunt; estq; ipse antè omnia & omnia per eum consistunt. Ex creaturarum præstantiâ, præsertim invisibilium & spiritualium, æstimare quodammodò licet infinitam Creatoris eminentiam & sublimitatem summam. Sunt *Throni* inter creaturas, sed qui ad pedes jacent ejus, cujus solium ipse Deus est, Sunt *dominationes*: at quantus is, qui dominantium Dominus? Sunt *principatus*, sed collati cum eo, qui suum principa-

cipatum suis humeris incumbentem habet,
omnia portans verbo virtutis suæ, indignos se
etiam fatebuntur præstandis suo Domino vilissi-
mis quibuscunq; servitiis Sunt *potestates*, at quan-
tus is est, cui æterna & immensa potestas, quiq;
omnes omnium creaturarum potestates, si cum
hoc componas, infirmitates facit? Ipsi flammatis
naturæ, & à fœcib⁹ terrenis se juncti spiritus, quos
Lingua sancta Seraphim vocat; quum Dominum
suum reverentur, sedentem super solio excelso
& elevato, simbriis ejus totum palatium replenti-
bus (ità gloriam Christi, qui adscendit suprà
omnes cœlos ut impleret omnia; Jesaias aliquan-
dò vidit) non audent coram ipso apertâ frontē
& nudis pedibus consistere, sed facie velatâ & pe-
dibus tectis, volant identidem, parati ad obeun-
dum, quod jussi fuerint, ministerium; & alterna-
to suo, quod invicem elatâ voce reddunt, Trisha-
gio, Deum Zebaoth, qui præsi est universis cœli
terræq; exercitib⁹, ab omnibus creatis substantiis
eorumq; accidentibus infinito modo separatum
secretumq; agnoscunt. Ità beatæ mentes, tam-
etsi sunt, si quandò cum rebus corporeis confe-
runtur, sapientissimæ, potentissimæ, purissimæ
substantiæ, à conspectu Dei se ipsas abijciunt, ni-
hili prorsus se reputantes, ut sit solus duntaxat
Deus excelsus super omnia. Nec est profectò fu-

cata illa, qualis hypocritarum multorum, sed se-
ria ac sincera submissio: Cum enim intuentur
ἀπαύρατος μὲν τῆς δοξῆς τῆ θεῶν, ipsam invisibilis Dei plenis-
simam imaginem, in quâ absconditi sunt omnes
thesauri sapientiæ, & quæ est brachium Dei for-
tissimi, & cujus oculis sanctissimis omnis cœlo-
rum claritas impuritas est; vix umbram alicujus
sapientiæ, fortitudinis, sanctitatis superesse sibi
cum admiratione sentiunt. Tantæ igitur cum sit
majestatis, qui militiæ nostræ præest, hominū pa-
riter atq; angelorū Princeps, nec sit quisquam illi
similis; quis eorū quæso, qui hunc ducem se-
quuntur, animum in acie despondeat, ut ut sint,
cum immanissimis congressuri hostibus? Mili-
tat in salutem Ecclesiæ & cujusq; credentis ani-
mæ Deus Zebaoth; militat cum Deo totus An-
gelorum exercitus, è quibus vel unus etiam
trucidandis innumeris legionibus sinè socio suf-
fecerit, ne dicam quæ sit in ipso DEO infinita nec
ullis limitibus circumscripta potestas. Adversi
quidem nobis erant sancti Angeli, cum ob pec-
catum DEUS adversabatur, nec quicquam ab ijs
auxilij sperare tum licebat: Sed Deo vicissim pla-
cato per mortem Christi, in gratiam rediit
homo cum universâ cœlesti militiâ. Concilia-
vit enim DEUS per Christum in se omnia, pacifi-
catus per sanguinem crucis eius, sive quæ super
terrâ

terrâ, sivè quæ in cœlis sunt. Ità conciliati cœlestes Spiritus, unum nunc cum omnibus sanctis, quotquot in terris agunt, exercitum constituūt, quem & unus ducit Imperator, primas tenens in omnibus. In hoc verò quanta sit posita & quàm longè lateq; patens piorum excellentia, id est quod explicari satis nequit. Invitamur à Spiritu DEI verbis gratiosissimis ad religiosam tam beatæ societatis considerationem & debitam DEO gratitudinē: *Accessitis, inquit ille, ad montem Sion & civitatem Dei vivi, Hierusalem cœlestem & innumerabilem Angelorum cœtum, & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in calis, & Judicem universorum Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & ad Novi Testamenti mediatorem Jesum.* Videndum nobis est, ne levem ducamus, quam magni facit Spiritus Dei, tam præclaram & stupendam nostræ naturæ in Christo elevatæ eminentiam; Hæc ubi spreta fuerit tempore gratiæ, nullus ad eam in omnem usq; æternitatem regressus patebit.

Vobis ista, *Cives Academici*, cum primis proponuntur, scripta non moris ergò, sed affectus propensi, qui vestræ omnium salutis cupidus est. Vos ipsi & qui ordinis vestri sunt, si palmam concesseritis Diabolo & Angelis eius, qui in perniciem *Academiarum* nullas nō machinas moliuntur,

tur, actum erit, de statu Ecclesiæ actum de Re-
bus publicis, de vobis actum. Pugnate ergò
adversus Satanam, quoad tempus certandi fue-
rit, & quod caput rei est, vitijs, divini Spiritus du-
ctu seriò obsistite. Nec putate, quotquot Chri-
sto adhæretis per fidem, vos in acie solos relictum
iri. Pugnabit pro vobis Michael, (ô quantus
Princeps! *quis sicut hic Deus fortis?*) & cum ipso
pugnabit universus spiritualium heroum exer-
citus. Hos spondete vobis socios, satellites,
ministros, sed tum demum spōdete cum eodem
quo ipsi ducuntur, Spiritu Dei, etiam vos duc-
mini, & si quem ipsi reverentur Deum Zebaoth,
illum & illius majestatem, potentiam, sancti-
tatem, veritatem, justitiam, vos quoq;
in omni vitâ revereri
studebitis.



terrâ, sivè quæ in cœlis sunt
lestes Spiritus, unum nunc
quotquot in terris agunt, et
quem & unus ducit Impera
omnibus. In hoc verò qua
longè lateq; patens piorum
quod explicari satis nequit.
DEI verbis gratiosissimis ad
tæ societatis consideratione
gratitudinē: *Accessitis*, inquit
Et civitatem Dei vivi, *H*
innumerabilium Angelorum
primogenitorum, qui conscrip
cem universorum Deum, Et
etorum, Et ad Novi Testame
Videndum nobis est, ne le
magni facit Spiritus Dei, tà
pendam nostræ naturæ in
nientiam; Hæc ubi spreta fu
nullus ad eam in omnem
gressus patebit.

Vobis ista, *Cives Acade*
ponuntur, scripta non mo
propensi, qui vestræ omniu
Vos ipsi & qui ordinis vestr
cesseritis Diabolo & Angel
ciem Academiarum nullas

ciliati cœ
ous sanctis,
constituūt,
tenens in
ta & quàm
tia, id est
ar à Spiritu
n tam bea
tam DEO
montem Sion
calestem Et
concionem
lis, Et Judi
orum perfe
rem Jesum.
nus, quam
am & stu
evatæ emi
ore gratiæ,
ritatem re

primis pro
ed affectus
upidus est.
lmam con
iti in perni
as molun
tur,

